

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt



174

Q. D. B. V.

1718 13
DISPUTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA
ll

DE
**REMISSIONE
JVRAMENTORVM
INPRIMIS JVRE SAXONICO
ELECTORALI**

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

*32
124.*

DOMINO

FRIDERICO AVGVSTO

PRINCIPES REGIO ET ELECTORATVS SAXONICI HEREDE
ETC. ETC. ETC.

PRAE S I D E

GODFR. LVDOV. MENCKEN

D. ET P. P. IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTRQVE JURE HONORES CAPESSENDI

PROPOSITAM PVBLICE DEFENDET

DIE I. AVGVST. M DCC XVIII.

AVCTOR

CAROL. CHRISTIAN. KRANZ

SCEVDITZ - MISN. ADVOCAT. LIPSIENS.

VITEMBERGAE, STANNO GERDESIANO.



678
DISPLIATIS MUNICIPIIS ET BIS
DB
REMISSIONE
VIRGINIOTAN
IN PRIMIS VIRE SAXONICO
REGITORI

RECOLERE MAGNITUDINIS TISSIMO
ERIPENDA CONSERVATIONE
GODER VENATIONE
DIE VENATIONIS HABEGITUR

V I R O

EXCELENTISSIMO, PRAENOBILISSIMO, AMPLIS-
SIMO ET CONSULTISSIMO DOMINO

D O M I N O

**FRIEDER. MICHAELI
FALCKNERO**

J C T O

PRAETORI VT ET SENATORI
REIPUBLICAE LIPSIENSIS MERITISSIMO
NEC NON SUPREMAE CVRIAEC PRO-
VINCIALIS ADVOCATO FAMIGE-
RATISSIMO ET RELIQUA.

V I R O

EXCELENTISSIMO, PRAENOBILISSIMO, AMPLIS-
SIMO ET CONSULTISSIMO DOMINO

D O M I N O

**JOH. SIGISMVNDO
BIRNBAVMIO**

J C T O

PRAETORI ET SENATORI REIPVBL.
LIPSIENSIS MERITISSIMO, NEC NON SUPREMAE
CVRIAEC PROVINCIALIS ADVOCATO CELEBERRIMO
ET RELIQUA.

VIR O
EXCELLENTISSIMO, PRAENOBILISSIMO, AMPLIS-
SIMO ET CONSULTISSIMO DOMINO
DOMINO
**GOTTOF. CHRISTIAN.
GOETZIO**

JCTO
PRAETORI ET SENATORI REIPUBL.
LIPSIENSIS MERITISSIMO, NEC NON BIBLIO-
THECAE SENATORIAE PRAEFECTO
VIGILANTISSIMO ET RELIQUA.

NEC NON
VIR O
PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET
CONSULTISSIMO DOMINO
DOMINO
DAVID BITTORFFIO
PRAETORII LIPSIENSIS SCABINO
EJVSDEMQUE PROTONOTARIO MERITISSIMO
ET RELIQUA.
DOMINIS, PATRONIS AC FAVORIBVS SVIS
MAXIME DEVENERANDIS
HANC DISSERTATIONEM
D. D. D.
CAROLVS CHRISTIANVS EXARAV. 1692.



B. C. D.

Si ullus promittendi & asserendi modus in societate humana frequens est, est certe Jusjurandum. Et licet sint quidam, Juramentum ex tenera conscientia & quadam subtili reuerentia recusantes; *I. pen. circ.*

fin. C. de fid. Instrum. larga tamen & eorum seges reperitur, qui, ex contemtu Religionis, ita proclives sunt ad jurandum, ut, quicquid in buccam uenerit, Sacramento confirment aut abjurent. Quemadmodum de Procuratoribus HENNING GOE-DEN. *conf. 87. n. 27.* suo tempore questus est, quod assuefacti ad jurandum, juramenta non pluris faciant, quam domus vetusta fumum. *uid. CARPZ. Def. 34. P. 1. Conf. XII. p. 97. §. 2.* Hinc cuilibet autor & suasor sum, ut, si conscientiae suae con-

A 3 fulere

sulere uelit, Jurisjurandi uinculum magis remittat, quam ad id promiscue adstringat, quoties quem pejeraturum sciat, uel probabiliter putet, siquidem alias juxta c. ille qui hominem 5. caus. 22. qu. 5. pro homicida habetur, cum e contra, Remissione facta, praesumta perjuriorum crebitas euictetur, c. 3. X. de Cobab. Cleric. & sic pro quasi Seruatore pejeraturi remittens jusjurandum existimandus sit. Quousque autem Remissio Juramentorum, praeprimis Jure Saxonico Electorali, locum habeat, ex sequentibus patescat, quoad quidem per rationes temporis aliaque negotia hoc argumentum persequi mihi licuit. Ast cum arg. I. II.
C. qui dare Tutor. malo inchoata Principio bonum exitum fortiri non soleant, inde primordia capio ab Auctore rerum omnium, eumque simplex in partes uoco, ut hoc, quicquid est, opellae bene mihi & feliciter cedere jubeat!

I.

Quod nonnulli magnopere circa materiam aliquam disputatione, in qua aut non multum aut plane non re ipsa dissident, id saepissime ex diuerso uerborum intellectu fluit. Hinc operae pretium esse duco, Rubrum, quod uocant, explanare.

II. De-

II.

Deriuatur autem Remissio a re & mittere, uarieque sumitur; uel enim indicat 1) *Eine Zurücksendung* / ut: Remissio Actorum, quando Judex Appellationis causam ad inferiorem remittit. c. 59. X. de Appell. uel 2) *Eine Erlassung* / ut Remissio Injuriarum §. ult. *Inst. de Injur.* Sic etiam Felonia remissa dicitur, si Dominus vasallo ueniam aut gratiam faciat, quod, quibus modis fieri possit, Dd. Juris feudalis passim exponunt, adde BERG. Oecon. Jur. l. 3. Tit. 9. §. 8. quam ultimam significationem etiam huic argumento accommodamus, nostramque facimus, secuti autoritatem JCti in l. 39. ff. de Jurej.

III.

Jam & Etymologia uocis Jurisjurandi & quae ad ejus ulteriore euolutionem pertinent, excutienda erant, si *κατὰ πόδα* Rubrum inuestigare uellemus; Ast cum illam magna Autorum caterua suppeditet, actum agere nolumus, obiter saltem monentes, ridiculam eorum esse opinionem, qui a mente & jurando compositam uocem esse contendunt, quod reliqua, quae in eundem modum exeunt uocabula, fatis docere possunt. Rem ipsam autem hoc uocabulo notatam dicimus *libera-*

liberatam Nominis diuini, tanquam testis ac uindicis, inuocationem in assertionis aut promissionis nostrae confirmationem. Vnde in assertoriū & promissoriū diuiditur. Cujus diuisionis species potiores singulatim considerare, &c, quoisque ac quatenus ratione illarum Remissio locum habeat, dispicere, apud animum est constitutum.

IV.

Antequam autem harum tractationem suscipiamus, Remissionem Juramentorum ita describimus, quod sit actus, quo praestatio jurisjurandi praestandi remittitur. Eo ipso autem innuimus, nos neutiquam acturos de Remissione Juramentorum, jam praestitorum, quae nomine specifico Relaxatio uulgo audit, u. g. si quis Urphedae juramentum praestitit, & ad effectum agendi praevia cause cognitione a Principe & Magistratu Politico Juramenti illius praestiti obligatio dissoluitur, CARPZ. P. II. C. 36. Def. 1. 2. 3. nec de illa, qua iis, quibus imperari potest, Juramentum Homagii & subjectionis ita relaxatur, ut a testimonio pro Dominis, qui eos produxerunt praestando, ferendo repelli nequeant, juxt. l. 6. ff. & l. 5. C. & c. 38. X. de .Testib. aut Princeps Consiliarios suos a Nexus Juramenti, quo ad hanc uel illam causam

sam uerb. Und wollen wir hiermit diese Unsere
 Râthe des Eydes/ damit sie Uns verhaftet/ er-
 lassen haben/ absoluit; Parimodo Nobilis, uel qui-
 cunque Jurisdictione aliqua gaudet, testibus, suaे Ju-
 risdictioni subjectis, Juramentum praestitum ad a-
 etum Depositionis uerb. Er wolle ihnen die Pflicht/
 damit sie ihm verwandt/ so viel diesen actum be-
 trifft/ erlassen haben/ remittit, quam adeo necessari-
 am esse contendunt plerique, ut, si omissa fuerit, te-
 stimonium nauci floccique aestimetur. uid. CARPZ.
Conf. XVI. P. I. Def. 64. Quamuis non adeo hanc
 relaxationem absolutae necessitatis esse, uerius
 mihi uidetur, cum, quod Domino praestitum est
 jusjurandum, non impediat, quo minus uera di-
 cere testis aut poscit, aut debeat, nisi uinculum
 adesse credas iniquitatis, & qui producit testem,
 eo ipso etiam, nulla facta remissione, iuramenti po-
 testatem ipsi facit ueritatem profitendi: Vsu ta-
 men fori Saxonici tam necessaria haec esse credi-
 tur, ut morosi in relaxatione Juramenti hujus,
 praeceptis poenalibus uel comminatione, daß die
 Zeugen wiedrigensfalls von der Pflicht erlassen
 gehalten werden sollen / compelli possint. SVEN-
 DEND. *ad Proc. Fibig. p. 1442.* Fortasse eam ob-
 rationem, ne scrupulum sibi moueant subditi, ac

B

si Jura-

si Juramentum praestitum uiolent, si contra Dominum deponant.

V.

*Remissio
Juramen-
ti, quod
Homagi-
um no-
cant.*

Igitur facimus de Remissione Vasallagii; Sumitur autem hoc (α) pro Inuestitura, GIPH. Tract. de Feud. c. 9. n. 6. in fin. (β) pro Instrumento super Investitura, Lehns-Brieff / BOGER. de Inuest. Feud. c. 1. n. 12. (γ) pro ipso Juramento, die abgelegte Lehns-Pflicht; STRUV. Synt. Jur. Feud. c. 8. §. 7. ubi & formula Juramenti est praescripta. Ast cum neutquam pro forma substantiali feudi jurata fides habeatur, a Domino directo remitti potest, 2. feud. 3. & 24. §. 1. quanquam nihilominus remisso hocce Juramento Vasallus ad omnia, quae alias in Juramento praestando continentur, est obligatus. 2. feud. 47. in fin. SCHRADER. P. II. c. 2. n. 27. ROSENTHAL. c. 2. c. 60. & 66. Eo ipso etenim non tollitur promissio fidei & obligatio ad fidem exhibendam, quae ad essentiam Feudi pertinet, STRUV. Syntagma Feud. c. 2. Aph. 3. 5. 6. qua deficiente feendum sublistere nequit, adeoque prorsus irremisibilis haec obligatio dicitur; SVENDEND. Exerc. 12. de fine & effectu Feudi. §. 3. Modus autem promittendi fidem per Juramentum omnino remitti potest, 2. feud. 3. in fin. siquidem juramen-

juramenti praestatio non inducit obligationem, sed eam presupponit, hinc firmioris nexus gratia accedit, 2. *feud.* 3. *in fin.* ita ut juramenti fidelitatis remissio, ad effectus, qui ex juramento, quatali, profluunt, tantum spectet. SVENDEND. *Exercit.* V. de diuis. *feud.* §. 15. *hab.* Lips. 1697. Licet autem in iuris Dominis juramentum hoc non remittatur, ipso tamen jure catenus remissum est, quatenus a pluribus haeredibus Dominorum Feudi relictis ita exigitur, ut singulis praestetur. Vni enim ex eorum numero, cui coeteri haeredes uices demandarunt, juramento hoc & quidem communi omnium haeredum nomine praestito, ab onere coeteris singulis illud praestandi Vasallus absolvitur. CARPZ. P. II. *Conf.* 45. *Def.* 28.

VI.

Parem in modum juramentum subjectionis, ut *subjectio-*
est juramentum Ciuium, der Bürger-Eyd / ea-*nis.*
tenus remitti posse, extra omnem dubitationis
aleam positum est, quatenus juramentum juran-
tem Magistratui tantum obstringit. Nam nulla
Lex Magistratum juri suo renunciare prohibet.
I. 29. ff. de Pact. Idem etiam jusjurandum a Prin-
cipe remitti posse manifestum est. Ita in Ciuitate
Misenensi juramentum Ciuium non persoluunt,
sed promissionem obsequii stipulata manu tantum

B 2 faciunt

faciunt Clerici & Officiales. uid. §.107. Neuen Erled. Tit. von Justitien-Sachsen, conf. MENCKEN. Disp. d. Juram. Ciuium. quoties autem formulae juramenti homagium est insertum, qualem formulam in Ciuitate Lipsiensi deprehendimus, & in plerisque locis obtinet, tories Remissioni Magistratus inferioris locus non est. Principis enim juri ejusmodi Magistratus praetudicare haud quam ualeat. arg. l.l. C. de Usufr. & l.38. ff. de Pact.

VII.

Calumnia. Nunc progredimur ad Juramentum Calumniae, quod diuiditur in generale & speciale. Quoniam autem generale in Saxonia est abrogatum, O.P.S. Tit. 33. hinc illud omittamus, remittentes Lectorem B. ad Dn. JOH. SAM. STRYCK. Diff. de Juramenti Calumniae Remissione, ubi, quae ad illam spectant, omnem faciunt paginam. Speciale autem ab aliis, in primis Canonistis, Malitiae appellatum, SCACCIA de Judic. L. II. c. I. n. 62. ita describimus, quod sit tale juramentum, quo pars, aut etiam causae Aduocatus, neue Erled. Tit. von Justitien-Sachsen. §. 24. Decis. Elect. 70. jurat, se nihil calumniae aut litis differendae causa deferre aut petere, sed omnia ad juris sui tuendi necessitatem facere. O.P.S. Tit. 18. §. Nachdem ic. und

Tit.

Tit. 33. quanquam autem hoc juramentum malitiae siue calumniae speciale ad compescendam temeritatem litigantium & juramenta deferentium regulariter ab omnibus, in quoscumque suspicio cadit, praestandum sit *d. l.* Parentibus tamen *I.*) sub quibus matres comprehenduntur, *l. 51. ff. de V. S.* aequo ac Patronis, juramentum liberis uel clientibus deferentibus, de calumnia jurare remissum est, quoniam exactio juramenti calumniae honorem & reuerentiam erga Patronos ac Parentes testandam uiolat, *l. 7. §. 4. ff. de obsequ. Par. & Patr.* quod etiam Principi, si ipsi cum subditis lis sit, remittitur, *M Ev. P. III. Decis. 191.* ut & Dominis & vasallis inuicem litigantibus. *2. feud. 33. §. 1.* *G. H. STRUV. de vindict. priv. c. XI. Apb. 20. n. 6.* *p. 160.* Inter Dominum enim & vasallum mutua habetur obligatio ad fidem affectumque. *2. feud. 26.* Praeterea etiam *II.*) in iis juramentis, quae uel a Lege uel a Judice deferuntur, ut est suppletorium, purgatorium, diffessionis, juratae specificationis &c. juramentum calumniae cessat: *O. P. S. Tit. 18. §. Es hat aber n. CARPZ. P. I. C. 12. D.* *26.* Judex enim calumniari non praesumitur, *l. 3. ff. quod met. cauf. l. 9. §. 3. ff. de rer. divis. RIVIN.* Enunc. *p. 1161.* quemadmodum *III.*) nec Reus jura re tenetur de calumnia, si referat juramentum, sibi

B 3

antea

antea ab Actore delatum. RIVIN. Enunc. 15. ad O.P.S. Tit. 33. Pari ratione IV.) juramentum calumniae, quando in sententia illud deferenti non est injunctum, & juraturus juramentum Principale deferentem ad juramenti calumniae persolutionem citari non curavit, pro remisso habetur. O. P. S. tit. 18. §. Nachdem ic. BERLICH. P. i. Concl. 31. n. 37. E contra, si in sententia injunctum est juramentum calumniae, & non petitum a parte, ut citetur aduersarius ad praestationem juramenti calumniae, neutquam tamen remissum esse creditur. RIVIN. Enunc. 40. ad Tit. 18. Sicut &, si in sententia juramentum calumniae deferenti non sit injunctum, reus tamen, ut ad praestandum illud citetur, postulet, ad hoc juramentum calumniae praestandum omnino deferens adhuc obligatus est, & pro remisso illud non habendum. O. P. S. Tit. 18. §. Nachdem ic. Tandem etiam V.) juramentum malitiae, quoties petitis jam a Judice delatum est, O. P. S. Tit. 33. u. g. si leuteratio friuole interposita, sive demonstratio, in qua testes peregrini denominati, uel schedula, in qua quarta dilatio petitur, a Judice accipiat, toties juramentum malitiae, alias his casibus praestandum, remissum censemur. O. P. S. Tit. 33. uerb. und ehe seinem Suchen

Suchen statt gegeben. RIVIN. Enunc. 10. § 39.
ad Tit. 35. quamuis, quod ad quartam dilationem attinet, eam absque hoc juramento concedi plane non posse, alii contendant, alii etiam post impletatam dilationem juramentum impetranti injungi uelint, quem postremum in modum in Dicasteriis Vitebergensibus vice plus quam simplici pronunciatum est.

VIII.

Pro remisso autem habetur juramentum delatum, I) quando deferens detrectat juramentum calumniae praestare. Is enim, qui jusjurandum desert, prius de calunnia jurare debet. *l. 34. §. 4. ff. de jurej.* Eodem etiam modo II) quando citatus ad persolutionem juramenti calumniae, in termino emanserit, delatum pro remisso ac praestito habetur: BERG. Elect. D. F. p. 591. remittere siquidem juramentum uidetur, qui de calunnia jurare recusat. *l. 37. ff. de jurej.* Pro remisso autem ac praestito III) habetur juramentum relatum, si referens in termino jurandi emanserit. RIVIN. Enunc. 59. *ad Tit. 18. O. P. S.* Hoc ipso enim dum referens in termino juratorio emanet, animum remittendi tacite indicare censemur. Excell. VVERNHER. Obs. select. P. II. O. 450. n. 2. conf. LR. L. 2. art. II. Accedit & hoc, quod auctor & reus in medio Proces-

*De- &
Relati.*

fus

sus parem habeant conditionem: quemadmodum igitur auctor juraturus, si in termino juratorio non comparuerit, utrumque juramentum deseruisse judicatur, ita idem de reo sentiendum, & pro praestitis habenda juramenta. Sin uero uterque emaneat, terminus pro circumducto habetur, ex hac ratione, quia deferens a parte sui judicato & citationi non satisfecit. Praeterea notandum est, quod etiam, cum haec tenus remissionem tacitam considerauerimus, remissio juramenti De- & Relati uerbis uel scriptis l. 41. ff. de jurej. a Procuratore speciali mandato instructo, suscepta, locum habeat. Sunt autem auctor & reus correlatiua. E. de iisdem idem debet esse judicium, nisi in altera ex correlatiis militet diuersa ratio. Sic u. g. remissio non potest fieri a Pupillo litigante l. 32. ff. de jurej. nec a Tutori, quia donationis nomine uenit BRVNNEM. ad Cod. tit. de jurej. Atque haec remissio juramenti etiam inuito fieri potest, ut ad juramenti praestationem (e. g. calumniae) non admittatur, cui aduersarius id remisit. Estque juramenti remissi idem effectus ac praestiti, ut omnino improbum sit illius desiderium, qui juramentum, quod altera pars remittit, nihilominus praestare cupit.

IX.

*Testimo-
nialis.*

Progredimur ad remissionem juramenti testi-
monia-

monialis ; Licet autem juris tralatitii sit, quod testi injurato non credatur, cujuscunque sit dignitatis, l. 9.
in pr. C. de Testibus, nihilominus tamen dantur casus, in quibus testium depositio in jurata eandem uitutem cum jurata testificatione habet. M E V. P. V. def. 242. n. 3. SVENDEND. ad Fibig. p. 1446. MYNSING. Cent. III. obs. 80. n. 6. Sic Litigantes testibus juramentum remittere ualent, (1) si expresse, mit ausdrücklicher Einwilligung beyder Partheyen. O. P. S. tit. 20. §. Wenn es xc. non tacite, uel una parte non contradicente id fiat. F A RINAG. de Test. qu. 74. §. 84. Taciti enim hoc casu eadem uis non est ac expressi. Ioh. PHILIPP. ad Decif. Elect. Sax. I. obs. 3. n. 15. & MARTIN. ad O. P. S. Tit. 20. p. 375. Cum autem ex hac ratione juramenti testimonialis remissio Partibus relicta sit, quia ipso- rum aut damnum aut emolumentum concernit proprium, sequitur, Judicem regulariter destitui potestate testibus juramentum remittendi, facto enim Judicis jus quaesitum litigantibus eripi nequit, arg. l. l. C. de Usufr. MYNSING. c. l. GAIL. l. l. obs. 101. n. 2. quanquam Judex ex justa causa, non obstante renunciatione partium, juramentum testibus deferre potest, M E V. P. V. Decif. 243. n. 6. aliquando etiam debet, ueluti cum remittunt, qui- bus

C

bus remittendi facultas & jus non competit, u. g. aliena tractantes negotia, Procuratores & Aduocati sine speciali mandato &c. uid. MARTIN. ad O.P.S. Tit. 20. p. 736. n. 50. - 58. Eundem in modum (II) testibus in processu possessorio & quidem possessorii summarissimi, de ui & ui armata, nec non instante magno periculo metuue dependentibus juramentum remissum est, uid. Decis. Eleg. I. uerb. im Fall aber xc. in primis, si testes alias sint omni exceptione majores. uid. MARTIN. ad O.P.S. conf. CARPZ. Tit. 20. p. 737. n. 59. Praesumuntur enim bonae fidei homines conscientiae suae, licet non jurauerint, curam gerere. arg. l. fin. C. ad L. Jul. repet. (III) In scrutinio ad inquisitionem generalem in causis criminalibus suscepto. CARPZ. Prax. Crim. P. 3. qu. 108. n. 65. In quo testes ad informandum Judicem exhibiti, fidem faciunt, siquidem Judici saepius incognita est eorum scientia, quandoque etiam est periculum in mora. Accedit, quod juramento non sit opus, si forte reus delictum interrogatus confiteatur. (IV) Quando super notorio aut consuetudine testes examinantur. MASCARD. de probat. Concl. 1361. n. 15. Vol. 3. CARPZ. Proc. Tit. 13. ad Tit. 4. n. 67. ubi tamen FARINACIVS qu. 74. n. 105. inter notorium facti

facti permanentis & transeuntis distinguit, atque
alii hanc doctrinam plane in dubium vocant. conf.
STRYCK. *disp. d. notorio.* (V) In personis intui-
tu officii hypothetici deponentibus, ad quod ju-
rejurando sunt obstrictae. u.g. Richter und Schöp-
pen. *arg. LR. L. III. Art. 88.* Perinde ut Medici &
Chirurgi, Stadt-Physici, Almmts- oder Stadt-
Barbierer / Kinder-Mütter. uid. FRIED. LVDO-
VICI *ad Conf. Crim. p. 208.* Cessat contra haec re-
missio α) in causis criminalibus, si de condemnan-
do uel absoluendo reo agatur. Sole enim meri-
diano clariores hisce in causis probationes exigun-
tur. *L. fin. C. de probat. CARPZ. Prax. Crim. quaeſt.*
114. n. 64. Nam interest Reipublicae, ne delicta
maneant impunita, l. 51. §. 2. ff. *ad L. Aquil. l. 13. ff. de*
offic. Praefid. Plura autem impunita manerent,
quoties testis injuratus in gratiam Inquisiti falso
deponeret, e contra innocens praefictae & inu-
stae frontis testis testimonio condemnaretur, pro-
inde semper jurata depositio requiritur β) si agi-
tur de dissoluendo matrimonio: tunc enim testes
jurato deponere debent; Nec in dispositione ho-
minum consistit remissio juramenti in hoc nego-
tio, quia, remisso testibus juramento, ueritas faci-
lius

lius inuerteretur, & sic uinculum matrimonii, quod DEVS tamen coniunxit, contra Matth. XIX. v. 6. separaretur. γ) In probando propinquitatis gradu, siquidem teste injurato gradum consanguinitatis aut affinitatis, in gratiam nuptias ambientium, falso diffidente, in eodem matrimonium non sine crimine contra legem diuinam consummari posset. arg. Leuit. XVIII. v. 6. Imo, ut compendio utar, in omni re ardua, & super qua transigi priuata auctoritate nequit, testibus non potest remitti juramentum. FARIN. de Test. qu. 74. n. 85. Unde, si uel maxime Partes testibus in iis, quae ipsorum propria concernunt jura & priuata damna aut commoda, etiam absque Judicis consensu & auctoritate, juramentum testimoniale remittere ualeant, JOH. PHILIPPI ad Decis. Elec. l. Obs. 3. n. 8. quia ei quiuis renunciare potest, in quo ejus interesse uerlatur; MARTIN. ad O. P. S. Tit. XX. §. Wenn es. non tamen illud partibus licet, quoties in causa ejusmodi ardua, & quae ad alterius uel insimul communem & publicam salutem pertinet, testes producunt, ut potius Judex, non obstante renunciatione Partium, juramento testes obstrinere queat & debeat.

X. In

X.

In proposito est, juratam specificationem ab *juratae omnibus*, qui repertorium confidere tenentur, & *specificationis* non fecerint, edi debere. Interim tamen I) pater naturalis & legitimus, ad juratam specificationem edendam, ratione bonorum maternorum non obstringitur, *Decis. Elect. 21.* sed nuda designatione ejusmodi bonorum *PHILIPP. ad Decis. El. 21. n. 23.* liberos contentos esse oportet. uid. pl. Excell. *VVERNHER. O. F. P. III. Obs. 142.* Cessat enim omnis doli suscipio, *I. 67. §. 1. ff. de Rit. nupt.* ac reuerentia patri debita, quae eum a ratiociniis cautionibus & aliis omnibus praestat immunem intercedit. *FINCKELTH. obs. 76. n. 6.* Nisi a) dilapidatio bonorum aliud postulet. *RAVCHB. P. I. qu. 30. n. 24.* β) Emancipatio liberorum *BERG. P. II. Suppl. Tit. 18. ad obs. 9.* accesserit, aut γ) ad secunda uota pater transierit. *BRVNNE. ad l. 16. ff. de jurej. STRYCK. de Caut. Juram. P. III. Sect. 3. C. 1. n. 119. sqq.* Remissa etiam est II) jurata specificatio haeredi ejus, qui occupauit haereditatem, super haereditate a defuncto occupata. Justam enim ignorantiae causam haereditatis occupatae haeres haeredis habere presumitur. *CARPZ. P. III. Conf. 33. Def. 14. STRYCK. de Cautel. Juram. P. III. Sect. III. C. 1. §. 205.* Sed

C 3

cum

cum hunc lex non liberet ab onere specificationis juratae, nix est, ut tuto hanc sententiam sequamur, a qua dudum recessit Senatus, teste III. BERGER. *Oec.lib. 2. tit. 4. θ. 50. not. 8.* Idem sentiendum est III) de haerede tutoris, quem juratam specificationem rerum pupillarium edere non teneri, cum & pro ipso militet justa ignorantiae causa, CARPZ. *P. III. Const. 33. Def. 14.* uulgo contendunt. Cum & huic eam leges non remittant, ut satius sit in regula subsistere, & ad specificationem edendam hunc quoque compellere, sed nec IV) ab obligatione juratae specificationis liberandus est haeres ejus, qui, oblato se ad praestandam juratam specificationem, morte praeuentus est. conf. Excell. VVERN H. *P. I. obs. 275.* ut non immerito Scabini Lipsientes eum haud esse ab illa immunem responderint. uid. RIVIN. *ad Tit. 18. O. P. S. Enunc. 115.* Certius est V) eximi ab edenda specificatione illos, quibus a testatore remissum est. *I. ult. §. 1. C. arbitr. tutor.* Modo non uergat ejusmodi remissio in praejudicium legitimae. Excell. VVERN H. *P. I. obs. 17.* Postmodum VI) a juratae specificationis praestatione haeres, quoties defunctus paulo ante obitum (secus est, si ante plures annos designationem fecerit defunctus, res enim haereditariae

tariae a tempore factae designationis minui & augeri posse credendum) propria manu sub expresso die bona sua designauit, absolutus est. l. 7. de administr. & pericl. tutor. Et tandem VII) is, qui solenne inuentarium confecit, liberatus est ab editione juratae specificationis. Decis. Elect. 57.

XI.

Haec circa Remissionem Juramentorum exempli loco attulisse sufficient. Nunc effectum hujus remissionis brevissimis supereft, ut explanemus. Effectus autem juramenti remissi idem est, ac praestiti, l. 9. §. 1. ff. de jurej. SVENDEND. ad Fibig. Proc. p. 1397. Juxta Const. Elect. 15. p. 1. praestito juramento Judex ad sententiam, juri & actis conformem, progradientur, eique, qui jurauit, actio uel exceptio rei judicatae competit. Causa juramento decisa habetur, perinde ac si desuper transactum fuerit. l. 2. ff. de jurej. Haec eadem obtinent in remisso juramento, siquidem remissio talis perinde, ut praestatio juramenti, speciem transactionis habet, quae ne quidem sub praetextu nouorum Instrumentorum rescindi potest. BERLICH. Concl. 35. n. 3. — Perinde cum deferens juramentum acceptatum non reuocare possit, nec remittenti, facta ab altero acceptatione, hocce licet.

Remis-

tenti, facta ab altero acceptatione, hocce licet. Remissio enim uim pacti obtinet, pactione autem quilibet jus suum deterius facere ualet. *l. pen. C. de pact.* Remisso itaque juramento delato sequitur sententia absolutoria, uel ab actione, uel exceptione; in iis autem actibus, quae pro forma essentiali juramentum requirunt, remissio cum praestatione juramenti non eodem gaudet effectu: sic filia haereditati paterna ualide non renunciat, nisi actu corporali Juramentum praestet, add. *authent. Sacram. pub. C. si aduers. uenit.* nec non *Constit. Elect. 16. P. II. ut & Decis. Elect. 15.* quae uxori pro marito intercedenti injungit formalem juramenti praestationem; quam si creditor forte remittat, nullam obligationem acquirit, & actus est frustraneus & irritus. Remissio enim regulatiter non ad damnum ejus, cui remittitur, sed ad fauorem operatur *B E V S T. de Jurej. p. 243.* & forma non datur per aequipollens. *SETZER. de Juram. lib. I. c. 16. n. 17.*

XII.

Quamuis autem in remittentis praejudicium efficax satis sit, illa, *de qua diximus, remissio*, non est tamen, ut ab eadem nos illud deterrere patiamur, quo majori & arctiori uinculo ad proximi aeter-

aeternam salutem, quam ad temporalem nostram adstricti sumus, siquidem & per ea, quae in præfatione tradidimus, ipsa animae nostrae salus pericitatur, quoties pejeraturum scientes uolentesque ad peccatum exequendum admittimus. uid. dissent. CHRIST. THOMASIVS in Disp. de emendandis quibusdam litium protractionibus in materia juramenti, parti a parte delati, in *Judicio hacenus receptis, Halae 1717. habita.* Satius est, periculum rerum nostrarum faciamus, quam animam culpa nostra perdi sinamus. Quia de causa etiam ob metum perjurii LO THARIVS suo tempore vetuit, juramento constringere eos, qui decimas Ecclesiae dare tergiuersarentur. L. III. LL. Lombard. tit. 3. Idque ideo cumprimis in illis causis ad imitationem nobis proponamus, quae rem leuem attinent, & quibus alia uia succurri potest: Non minus enim peccatur jurando, cum non opus est, quam ubi opus est, cum male juratur. MEV. P. II. Dec. 324. p. 206. not. 3. Quoties ergo præfractae frontis homo, quem pejeraturum suspicemur, sese paratum ad jurandum sistat, & res eo peruererit, ut animum pejerandi non obscuris indicii intelligamus, non patiamur, eum, de cuius perjurio persuasi sumus, in profanatio-

D

natio-

nationem sanctissimi Nominis diuini jusjurandum praestare. Sed remittamus potius & juramentum, & si aliter fieri nequeat, eam, qua nobis tenebatur, obligationem, quasi exemplo diuino inducti, quo DEVS saepissime nobis, aliquisque debita nostra *remisit*, debitoribus eadem facilitate debita *remittamus*, certa spe freti, fore, ut ex mundo animae ergastulo in libertatem coelestem *remissi*, sine *intermissione* a strictioribus iuriarum uinculis compedibusque *remittamur*, dulcique animi *remissione* fruamur sine

F I N E.



CL. CAN-

CL. CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Reddo Tibi, quam mihi obtulisti Dissertationem cui nec detrahere nec addere quicquam uolui, quamuis forte non deessent, quae aut omitti aut adjici posse uiderentur. Malui enim TVAS TIBI meditationes tuendas relinquere quam obtrudere alienas. Occupatus es in argumento ampio & copioso. Ejus quaedam capita attigisse satis est, integrum exaurire nec

nec temporis ratio permisit nec instituti TVI postulauit. In hujus enim generis Scriptoribus si pertractare causas non licet, delibare sufficit. Caetera non opus habent mea excusatione. Ipse pro TE dices & quae scripsisti in publico conflictu contra dissentientes tueberis. Quae res ut TIBI ex uoto cedat utque honores quos Ordo TIBI noster decreuit feliciter ingrediaris ex animo etiam atque etiam precor & exopto. Vale scribebam
Vitebergae d. XXVIII. Jul.

M DCC XVIII.

ULB Halle
005 708 540

3



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

White

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

DISPVATATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA
DE
REMISSIONE
JVRAMENTORVM
INPRIMIS JVRE SAXONICO
ELECTORALI

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIP E AC DOMINO

3.
16. Br.

DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO

PRINCIP E REGIO ET ELECTORATVS SAXONICI HEREDE
ETC. ETC. ETC.

PRAESIDE

GODFR. LVDOV. MENCKEN

D. ET P.P. IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTRQVE JVRE HONORES CAPESSENDI
PROPOSITAM PVBLICE DEFENDET
DIE I. AVGVST. M DCC XVIII.

AVCTOR

CAROL. CHRISTIAN. KRANTZ

SCEVDITZ - MISN. ADVOCAT. LIPSIENS.

VITEMBERGAE, STANNO GERDESIANO.

